



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xij. De Iurame[n]to calumniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

DE IVRAMENTO
calumniæ,

TITVLVS XII.

*Aktor recusans subire iuramentum calu-
mniæ cadit ab actione, reus habetur pro con-
fesso. h. d.*

Ed, vt veritate prævia iudi-
cia expediantur, institutum
est, vt litigatores in exordio
litis de calumnia vitanda iura-
re debeant. Quod iuramentum
si quis præstare recusauerit, a-
ktor quidem ab instituta cadet
actione, & pro confesso reus ha-
bendus erit.

*In causa suæ Ecclesiæ clericus non cogitur
iurare de calumnia, secus in propria: quo casu
iurat propositis tantum scripturis, non tactis.
hoc dicit.*

In hac tamen parte quibus-
dam casibus clericis iura peper-
cerunt. Vetuerunt enim, ne dū
propriæ Ecclesiæ causâ peragi-
tur, inconsultis illorum præla-
tis, huiusmodi subire iusiuran-
dum cogatur: licet in proprijs
causis huiusmodi priuilegio mi-
nimè gaudere noscantur. Sed
& quo casu hoc iuramentum su-
bire, vel permittuntur præla-
ti, vel iubentur, non tactis, sed
tantum propositis scripturis id
implebitur.

*Hodie etiam in causis spiritualibus iuratur
de calumnia. h. d.*

In causis spiritualibus olim
de calūnia minimè iurabatur:
sed quia & in illis litigatores
frequenter calumniari comper-

tum est, nouissimè sancitū est^d,
vt in eis id, quod in ceteris con-
stitutum est, obseruari debeat.

*Etiā procuratores iurare de calumnia te-
nentur, quādoquē iudici uidebitur. hoc
dicit.*

Et non tantum principales,
verum etiam procuratores^e, &
syndici^f, huiusmodi iuramentū
suscipere compellēdi erunt, e-
tiam si quid ponere, aut respon-
dere debeant, à dominis instru-
cti fuerint, aut post hoc præstitū
iuramentum de purati fuerint:
nec enim illud intra certa iudi-
cij tempora coarctatum reperit-
tur, sed & poterit iudex exigere,
quoties expedire viderit.

*De calumnia iuratur etiam in causa appel-
lationis. h. d.*

Præterea^h quanquam in pri-
ma instantia partes iurauerint,
non tamen propterea in causa
appellationis huiusmodi iura-
mentum declinare poterūt, cū
rursus, & de calumnia vitanda,
& dicenda veritate iurare par-
tes sint compellendæ.

*Iuramenti de calumnia omisio non uitiat
processum. h. d.*

Illud postremò admonendi
sumus, quod propter omissumⁱ
tacite in tota causa calumniæ
iuramentum, iudicialis proces-
sus aliàs factus legitimè, nec est
nullus, nec ob eam causam ve-
nit annullandus: cū huiusmo-
di iuramenta præstari de substā-
tia ordinis iudiciarij nō existar.

Vt

^a cap. fin. §.
fin. extram.
cod. tit.

^b cap. 1. §.
seq. ext. co.

^c cap. si. ext.
cod.

^d cap. 1. §. fi.
co. tit. in 6.

^e capit. 2. §.
procurato-
res. cod. tit.
in 6.

^f cap. pen. et
fin. extra.
cod. tit.

^g cap. 2. in fi.
co. tit. in 6.

^h capit. 2. in
prin. cod.
tit. in 6.

ⁱ capit. 1. in
prin. et §.
1. cod. tit.
in 6.